

causa, sive concausa physica; nam quamvis sæpe sæpius contingat, quod ex vi influxus causæ physicae non possit sequi effectus homicidii, nisi adsit etiam concursus alterius causæ, si tamen illud de facto sequatur, utraque causa influit in ipsum simul.

IV. Dico tertio: Postquam qui causam apposuit homicidii sive physice, sive moraliter, tenetur ut non incurrat irregularitatem, efficaciter revocare influxum, ita ut talis influxus non attingat homicidium, sed totaliter impediatur. Probatur, quia alias si non sic impedit, comparabitur semper homicidium ad suam voluntatem, de quo tamen amplius dicemus articulo sequenti.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

V. Pro parte negativa arguitur primo: Quia si quis inferat alicui vulnus lethale, et tamen statim ille percussus ab aliis occidatur, homicidium illud non sequitur ex vi vulneris primo illati, quia tale vulnus non intulit de facto mortem, etiamsi ex se ipso esset lethale, et tamen talis inferens vulnus illud manet irregularis, ut videtur manifeste ex capite Significasti secundo, de homicidio voluntario in quinto, titulo XII, cap. VIII. Ergo ut incurratur irregularitas homicidii voluntarii non est necessarium, quod illud sequatur ex vi causæ appositæ. Confirmatur, nam si quis inferat alicui vulnus lethale, et tamen statim percussus intereat fulmine, vel alio casu fortuito, tunc videtur manifestum, quod vulnus illatum non intulit de facto mortem, et tamen qui vulnus intulit incurrit irregularitatem iuxta dispositionem illius capitis; ergo. Et a fortiori potest fieri argumentum ex capite Suscepimus, eodem titulo.

VI. Respondetur, quod qui lethale vulnus intulit alicui, etiam si percussus ab aliis postea statim repente occidatur, nihilominus verum habuit influxum circa homicidium, qui intulit vulnus lethale, cum illud ex natura sua disponat ad mortem, nec fuerit impeditum, sed potius adjuvatum ab aliis causis supervenientibus, quæ quamvis accelerent mortem, non tollunt quin vulnus illud fuerit causa homicidii. Et per hoc patet ad confirmationem. Sed tamen circa illud caput Suscepimus advertendum est, quod ille, qui simul cum fratre ligavit latrones cooperatus est morti illorum, quamvis remote, et idcirco incurrit irregularitatem, non quidem homicidii voluntarii, sed casualis, quia ille noluit occidere latrones; frater autem ejus, qui illos occidit incurrit irregularitatem homicidii voluntarii.

VII. Secundo arguitur: Quoniam si quis vulnus leve intulerit alicui, quod de se nulla ratione esset causa sufficiens ad inferendam mortem, et tamen postea culpa ipsius percussi vulnus efficitur grave et lethale, ex quo de facto secuta fuit mors, tunc talis manet irregularis; et tamen ex vi causæ appositæ ab illo non fuit subsecutum homicidium; ergo, etc. Quod autem ille maneat irregularis probatur ex capite Ad audientiam, eodem titulo.

VIII. Respondetur, quod in illo casu, qui leve vulnus intulit sufficienter tamen influit in mortem subsecutam, saltem ad hoc ut incurrat irregularitatem homicidii casualis, nam qui solum vulnus leve intulit, et adhibuit sufficientem diligentiam ne percussus moreretur, qui tamen mortuus est culpa sua, si is, qui intulit vulnus nullo modo voluit illum occidere, sed solum se vindicare, vel satisfacere iræ suæ, tunc illud homicidium non fuit ei

voluntarium, sed casuale: si tamen solum leve vulnus intulit habuit voluntatem occidendi illum hominem si posset, tunc jam erit homicidium voluntarium, non quidem comparatum ad leve vulnus, sed ad voluntatem occidendi explicitam tamen in levi vulnere.

IX. Et si objicias ex capite Tua nos, de homicidio, in quo decernitur, quod quidam monachus aperuit tumorem gutturis cujusdam feminæ, admonens ipsam ne vento se exponeret, illam tamen contempto præcepto monachi vento se exposuit, ex quo subsecuta fuit mors, et tamen decernitur ibi, quod monachus non fuit homicida, nec irregularitatem incurrit: videtur autem quod eodem modo influxit in mortem illius mulieris, sicut ille, de quo in præcedenti solutione locuti sumus, ac subinde solutio est falsa, respondetur tamen, quod monachus ille multo aliter se habuit circa mortem mulieris, quia ut constat ex illo capite erat peritus chirurgus, nec dabat operam rei illicitæ, et fecit sufficientem diligentiam, ne mulier se exponeret periculo mortis. Quod si aliquid ex his defecit in monacho, censetur ibidem irregularis.

X. Tertio arguitur: Nam si quis videns amicum contendente cum alio armis, velit adjuvare illum amicum, et adjuvet de facto, ipse tamen non infert vulnus alteri, sed tantum amicus adjutus infert vulnus lethale, tunc iste adjuvans manet irregularis, quia fuit causa; et tamen ex vi causalitatis ipsius non fuit homicidium subsecutum; ergo. Confirmatur, nam si quis præcipiens, vel consulens homicidium, revocaret præceptum, et consilium antequam de facto sequeretur homicidium, executurus tamen homicidium non obstante revocatione illud perpetravit, tunc præcipiens, et consulens incurrit irregularita-

tem, quia fuit causa moralis: et tamen ex vi hujus causalitatis moralis non fuit subsecutum homicidium, si quidem præceptum, vel consilium jam sunt revocata; ergo. Respondetur, quod ille coadjuvat amicum contendente armis cum alio, et ideo quamvis nullum vulnus inferat, sed solus amicus occidat, nihilominus adjuvans est causa mortis subsecutæ, quia amicus ratione auxilii præstiti ab illo occidit alium, et sic concausalitatem habuit circa homicidium subsecutum. Ad confirmationem dicemus articulo sequenti.

ARTICULUS VI.

Utrum causa moralis incurrat irregularitatem homicidii voluntarii, etiamsi causalitatem semel præstitam impediatur de facto ante homicidium subsecutum?

I. In hac difficultate aliqui auctores, quos refert Suarez disp. LXIV, sect. II dicunt, quod qui præcepit homicidium fieri, etiamsi postea sufficienter mandatum revocaverit, si tamen homicidium sequatur de facto, manet præcipiens illud irregularis. Et ratio illorum est, quia adhuc illud præceptum quantumcumque revocatum sit, semper influit, eo quod exequens homicidium nullo modo occideret, neque vellet, nisi præceptum fuisset. Supponunt namque isti auctores, quod exequens homicidium habet modo voluntatem occidendi ortam ex illo præcepto.

II. Dico tamen primo: Si præcipiens homicidium revocavit sufficienter præceptum, ita ut quamvis homicidium sequatur postea, non tamen sequitur ex vi illius præcepti, etiamsi talis occisio ortum habeat ex illo præcepto, taliter quod

occidens nunquam voluisset occidere, nisi ei præceptum fuisset, præcipiens tamen nullam incurrit irregularitatem. Ista conclusio est communior sententia, quam tenet Innocentius et alii in capite Ad audientiam sæpe citato. Et ratio hujus est, quia occisio illa solum reducitur tamquam in causam in voluntatem occidentis physice, si quidem (ut supponimus) sufficienter impeditus est influxus moralis causæ præcipientis. Quod autem ortum habeat homicidium ex illo præcepto, est omnino per accidens, si quidem tale præceptum postquam sufficienter fuit revocatum jam solum est occasio, et non causa, unde manifestum est, non sufficere ad inducendam irregularitatem. Dubitabis tamen, an quando ille, cui præceptum occidendi impositum fuit, postquam sufficienter a præcipiente revocatum est, adhuc tamen mandatarius perseveret in voluntate occidendi, neque vult desistere, etiamsi intuitu præcepti id non faciat, sed solum sua voluntate, an tunc qui præcepit teneatur quacumque alia via sibi possibili impedire illud homicidium etiam admonendo occidendum ut sibi prospiciat. Ad hoc

III. Dico secundo: In casu isto ex hoc, quod voluntas illa occidendi habeat ortum ex præcepto, tenetur præcipiens, ex speciali obligatione charitatis saltem, impedire quacumque via sibi possibili homicidium: nec sufficit revocasse sufficienter præceptum. Ita sentiunt communiter doctores. Et ratio illorum est, quia præcipiens fuit in causa, ut alter incurrat detrimentum vitæ; ergo ex charitate ad minus tenetur omni via intendere vitare detrimentum illud.

IV. Dico tertio: In præfato casu probabilius est non teneri ex justitia, qui præcepit homicidium, procurare omni via possibili ut impe-

diatur, sed satisfacit justitiæ si sufficienter, quantum est ex se revocaverit præceptum datum. Ista conclusio est contra Suarez in illa disputatione XLIV, sect. III, ubi asserit præcipientem teneri ex justitia in isto casu, quæ quidem sententia probabilis est. Sed tamen probatur nostra conclusio, quia per sufficientem revocationem præcepti impeditur totaliter causalitas et influxus ipsius, ita ut jam mandatarius non occidat intuitu præcepti, sed illud se habeat solum ut occasio. Alia via confirmatur, et explicatur ista ratio, quia talis obligatio ex justitia oriri non potest, nisi titulo injuriæ illatæ circa homicidium illud perpetrandum, ut etiam admittit ipse Suarez. Sed injuria illata per præceptum omnino sublata est per sufficientem revocationem præcepti; ergo si jam nullus relinquitur locus injuriæ, neque aliqua potest suboriri obligatio ex justitia ex vi illius injuriæ.

V. Dubitabis insuper, an ut causa præcipiens incurrat irregularitatem necessarium sit quod ille, cui præcipitur, acceptet præceptum. Nam si quando præcipitur, non acceptaret, et postea vellet intuitu præcepti occidere, et de facto occidat, videtur quod tunc præcipiens sit omnino involuntarius; nam cum alter non acceptaverit præceptum, præcipiens nullam habet curam de homicidio perpetrando, unde sic se habet, ac si nullo modo præciperet.

VI. Dico tamen quarto: In hoc casu non est necessarium, quod mandatarius statim acceptet præceptum mandantis, sed præcipiens incurrit irregularitatem. Et probatur, quia ipse præcipiens veram apposuit causalitatem moralem, quam non impedivit, et exequens fecit homicidium intuitu præcepti. Quod vero non acceptaverit statim est omnino impertinens, si postea

acceptavit præceptum, et intuitu illius commisit homicidium, quando quidem præcipiens tenebatur revocare præceptum, et impedire homicidium. Major tamen difficultas est de causa consiliante, an per revocationem consilii maneat immunis ab homicidio subsecuto, et ab irregularitate.

VII. Et a parte negativa est ratio dubitandi, quia consilium potissime ad intellectum dirigitur, et non ad voluntatem, cum ordinetur ad instruendum; vel de modo quo potest fieri homicidium, vel de convenientia homicidii faciendi respectu illius, qui vult ipsum perpetrare: sed ea, quæ semel ab intellectu percipiuntur tamquam convenientia difficile removeri possunt per quamcumque revocationem; ergo consilium semel datum, si postea homicidium sequitur, semper habet influxum moralem in homicidium, quantumcumque consilians conetur revocare. Confirmatur, nam si quis propinet venenum alteri, et postea per medium potissimum, et medicinam efficacissimam contra venenum illud procuret causalitatem ejus impedire, si tamen de facto sequatur homicidium, manet irregularis; ergo a simili in nostro casu. Probatur consequentia, quia quod homicidium sequatur ad causam physicam veneni, vel ad causam moralem consilii nihil differt, dum tamen homicidium sequatur de facto.

VIII. Pro parte autem affirmativa arguitur: Nam si ille, qui dedit consilium fecit totum quod in se est ad revocandum illud, consequenter abstulit omnem influxum moralem causæ consulentis; ergo cum jam non sit causa homicidii, quamvis illud de facto secutum fuerit, non imputabitur ei, sed solum exequenti. Ergo qui consuleret non incurrit irregularitatem saltem

homicidii voluntarii. In hoc dubio sunt duæ oppositæ sententiæ. Altera negativa, quæ innititur primo argumento facto, et illam tenuerunt aliqui auctores, et novissime quidam Thomista: altera autem est affirmativa, quæ innititur secundo argumento facto, et illam tenuerunt alii auctores, ac tandem tamquam communiorem, et magis piam sustinet illam Suarez tomo primo, disp. XLIV, sect. III, num. XI, et sequentibus.

IX. Pro hujus tamen resolutione advertendum est, quod consilium illud datum potest referri, vel ad voluntatem, seu appetitum recipientis illud, verbi gratia, si Petrus consulat Paulo dirigendo consilium ad intellectum ejus, id est, ostendendo ei modum, et convenientiam homicidii faciendi a Paulo, qui injuriam passus est, et convincendo illum rationibus apparentibus, quibus sibi visum sit multum expedire ad suum honorem recuperandum occidere eum, qui sibi injuriam intulit, et quamvis ista persuasio redundet in appetitum Pauli, potissime tamen dirigitur ad intellectum ejus persuadendum, et hoc proprie appellatur consilium. Altero autem modo potest contingere sic, ut Petrus consulens passus fuerit injuriam, et persuadeat Paulo, et velit illam in favorem Petri vindicare, et hæc persuasio potissime dirigitur ad appetitum, et voluntatem Pauli, et potius debet appellari petitio, quam consilium, si quidem Petrus petit ut Paulus velit homicidium facere.

X. Dico igitur ultimo: Si consilium dirigatur ad voluntatem satisfaciet consilians, si sufficienter revocat consilium, seu potius petitionem illam: si tamen dirigatur consilium ad intellectum persuadendum, et convincendum, tenetur consilians non solum revocare consilium sufficienter, sed facere totum

quod in se est ad vitandum homicidium admonendo, imo eripiendo eum contra quem dederat consilium; et quidem si ita faciat immunis erit ab irregularitate, etiam homicidio subsecuto. Prima pars hujus conclusionis est manifesta ex rationibus quibus probavimus, quod præcipiens homicidium, si sufficienter revocat mandatum non incurrit homicidii reatum, nec irregularitatem; hæc autem petitio facta a Petro habet aliquo modo rationem mandati, ita ut regulanda sit sicut ipsum mandatum: secunda autem pars conclusionis probatur sufficienter argumento facto pro parte affirmativa.

XI. Et confirmatur ex differentia, quæ versatur inter propinquantem venenum, et inter consulentem ad intellectum. Nam qui venenum propinavit alicui mortiferum, fere impossibiliter revocare poterit effectum veneni, seu influxum; unde in propinatione ipsa fuit volita per se hæc impossibilitas revocandi effectum veneni, unde ille effectus, et homicidium per se necessario consecutum fuit volitum in ipsa propinatione veneni mortiferi, quæ cum sit causa physica, et necessario influens, non remanet in potestate illius, qui apposuit ipsam impedire effectum ejus. At qui præbuit consilium potest regulariter illud revocare ostendendo rationes ita efficaces, imo sæpe efficaciore, quam consilium illud, quibus positus si adhuc consilium perseverat in intellectu alterius erit ex malitia illius, et non ex culpa consiliantis. Et hæc est notanda differentia, nam venenum etiam si adhibeatur medicina, si tamen sequitur mors ab ipso, sequitur non ex malitia alterius, quæ non est in eo, qui consilium dedit. Et per hoc patet ad argumentum, et confirmationem in oppositum. Advertendum tamen est, quod ad hoc ut in casu

hujus conclusionis ille non incurrat irregularitatem oportet, ut de facto perveniat revocatio consilii ad aures illius, cui datum fuerat, et idem est de revocatione præcepti. Si tamen non pervenerit ex culpa ipsius, qui consiliatur, vel quia tam sero voluit revocare consilium, seu præceptum, ut impossibile fuerit revocationem pervenire ad executorem homicidii, tunc consilians, et præcipiens incurrit irregularitatem, sicut qui propinavit venenum.

DISPUTATIO XIV.

DE IRREGULARITATE, QUÆ INCURRITUR
EX HOMICIDIO VOLUNTARIO LICITO,
SIVE PRIVATA, SIVE PUBLICA AUCTO-
RITATE FACTO.

ARTICULUS I.

Utrum qui alterum occidit in defensionem propriæ vitæ contrahat irregularitatem?

I. Dico primo: Per homicidium voluntarium in defensionem propriæ vitæ cum moderamine inculpatae tutelæ factum, quando aliter vita defendi non potest, nisi occidendo aggressorem non incurritur irregularitas. Ista conclusio est communis resolutio omnium theologorum, et canonistarum ex clementina unica, libro quinto, clementinarum, titulo iv de homicidio, ubi manifeste decernitur sub his verbis: « Si furiosus, aut infans, seu dormiens hominem mutilet, vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit. Et

idem de illo censemus, qui mortem aliter non valens vitare suum occidit vel mutilat invasorem. » Difficultas tamen est circa istam clementinam, an illa abrogaverit antiquum jus quo irregularitas videbatur imponi propter homicidium factum in defensionem propriam, ita ut novum jus decretum sit in illa clementina; an vero illa solum fuerit explicatio antiqui juris, ita ut in illo non fuerit manifeste posita irregularitas propter homicidium factum in defensionem propriam.

II. Prima sententia asserit in illa clementina esse conditum novum jus derogans antiquum, et fundamentum potissimum hujus sententiæ est, quia cum temporibus D. Thomæ nondum facta fuerit ista clementina, utpote in Concilio Viennensi statuta, ideo D. Thomas sequendo jus antiquum in ista questione LXIV censet, quod qui se defendendo interficit aliquem est irregularis, quamvis non intendat interficere, sed se ipsum defendere. Nec valet dicere, quod D. Thomas loquitur de illo, qui in defensionem propriam occidit alterum excedendo moderamen inculpatae tutelæ, si quidem D. Thomas manifeste loquitur de ista occisione, quando licite fit, ut constat ex contextu. Secunda sententia asserit per oppositum præfatam clementinam non statuere novum jus, sed solum explicare antiquum. Ita tenet Suarez tomo v, disp. XLVI, sect. i, num. II, ubi adducit ad id quædam capita juris, et glossam, et Navarrum, et alios auctores, et ad auctoritatem D. Thomæ in oppositum modo inductam non respondet iste auctor, sed relinquit illam, ac si D. Thomas necessario non esset tenendus in hac parte.

III. Dico tamen secundo: Probabile est, in præfata clementina non statui novum jus antiquo contrarium, sed solum explicari illud,

nec ex ista assertione sequitur aliquid contra doctrinam D. Thomæ. Prima pars hujus conclusionis probatur, quia si in aliquo jure antiquo imposita fuisset irregularitas propter homicidium licite factum in defensionem propriam, maxime in decreto Nicolai papæ dist. L, capite De his clericis, sed in isto decreto nulla talis imponitur irregularitas; ergo in jure antiquo non erat imposita. Major acceptatur ab omnibus, etiam auctoribus primæ sententiæ, qui potissimum in illo decreto censent positam fuisse irregularitatem propter homicidium licite factum in defensionem propriam, ac subinde jus illum derogatum fuisse in illa clementina citata. Minor probatur, quia in illo decreto Nicolai papæ solum imponitur irregularitas propter homicidium illicite factum in defensionem propriam, ut constat ex contextu, si quidem consultus summus pontifex respondet: « Quod si occisores clerici postea per pœnitentiam emendati fuerint, etc. » ubi in illo verbo pœnitentiam manifeste indicatur homicidium illud fuisse cum peccato, ex eo quia occisores excesserunt moderamen inculpatae tutelæ; tum, quia erant plures contra unum; tum, quia ille erat paganus, et ideo conjectari potest illos nimia ira irruisse in eum; tum denique, quia cum essent clerici, poterant imo debebant fugere aggressorem sine dedecore, nec infamia ipsorum, ac subinde jam poterant aliter se defendere, quam occidendo invasorem, et hoc ipsum est, quod statuitur in clementina Si furiosus, dum ait: « Qui mortem aliter vitare non valens nisi occidendo, vel mutilando invasorem. »

IV. Confirmatur, quia omnes, etiam auctores primæ sententiæ, ut statim videbimus, tenent clericos, et religiosos teneri ad fugam, ut non